

8.45.11

*Idem A. Clementi.*

Exceptione doli recte eum submovebis, quem ab auctore tuo fideiuissorem accepisti, si eius nomine controversiam refert, quasi per uxorem suam, antequam tu emeres, comparaverit, qui vendenti adeo consensum dedit, ut se etiam pro evictione obligaverit.

*PP. non. Febr. Pompeiano et Peligno consss.*

[a. 231]

8.45.12

*Imp. Gordianus A. Philippo.*

Sive in libertatem evictus est servus quem mercatus es, sive cum comparares convenit, si qua quaestio eius nomine relata esset, etsi necdum evictus esset, ut pretium recuperares: Praeses provinciae, quod tibi praestandum animadverterit, restitui iubebit.

*PP. VII id. Mart. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.45.13

*Idem A. Zoilo.*

Si ob causam iudicati pignora capta sunt ex eius auctoritate, cui praecipiendi ius fuit, ea de quibus completeris, eaque tu mercatus es, frustra ab ea quae condemnata est vel quae in eius locum successit eorum refertur quaestio, quandoquidem, etsi evictio eorum ab alio subsecuta fuisset, adversus eos debuisse dari actionem, quibus pretii solutio proficit, meritissime rescriptum est.

*PP. XVI k. Iun. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.45.14

*Idem A. Secundino.*

Sive possessio vendoris fuit, filius eiusdemque patris heres frustra quaestionem movet, sive non patris, sed filii eius possessio fuit, de qua iure hereditario auctor laudari potest, controversiam movere non potest.

*PP. XIII k. Aug. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.45.15

*Impp. Philippus A. et Philippus C. Menandro.*

Si non iniuria iudicantis, sed iuris ratione superatus es, pignus ob evictionem acceptum sollemniter persequi potes.

*PP. k. Aug. Philippo A. et Titiano consss.*

[a. 245]